



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 1. De S. Ioanne in vinculis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



QVINTA PARS.

Appendix pro quibusdam diebus Dominicis ac festis, qui in quatuor partibus superioribus desiderantur.



MEDITATIO I.  
DE S. IOANNE IN VIN-  
CVLIS.

- Mat. II.* I. Ioannes in vinculis, mittens duos de discipulis, ait illi: Tu es, qui venturus es (Messias) an alium expectamus?
- II. Respondit: IESVS, renunciate Ioanni, quae audistis, & vidistis, caeci vident, claudi ambulant, pauperes euangelizantur, &c.
- III. Illis abeuntibus, dixit turbis de Ioanne: Quid existis videre arundinem vento agitatam? in mollibus vestituū prophetam &c.

---

FIGVRÆ.

*3. Reg. 22.* **M**icheas Propheta, eo quod Regi Achab infaustum belli exitum prædixisset

MEDITATIONVM. 447

xisset, missus in carcerem, pane & aqua alitur.

2. Hieremias, quia verbum Dei annun- *Hier. 20*  
ciabat contra Hierusalem, percussus, &  
in neruam missus est.

PROPHECIAE.

1. **D**Eus veniet, saluabit nos. Tunc aper- *Isa. 35.*  
rietur oculi caecorum, & aures surdo-  
rum patebant. &c.

2. Spiritus Domini super me &c. misit me *Isa. 61.*  
vt predicarem captiuis indulgentiam, &  
clausis apertionem.

3. Ecce ego mitto Angelum meum, & prae- *Malac. 3.*  
rabit viam ante faciem meam.

DOCUMENTA.

1. **I**oannes, licet vincus, non de sua libera-  
tione, sed de discipulorum salute erat  
solicitus, vt recte in fide, & vita sancta  
instituerentur. Id ipsum tibi faciendum, ne-  
que in tētationibus, atq; afflictionibus, quic-  
quam de officio, precibus, &c. remittendum.

2. Ioannes mittit ad Christum, non quasi ipse  
dubitet, an sit Messias? sed vt Discipulorum  
ignorantia consulat, & miraculis conspectis  
eos ad Christum pertrahat, cum ipse se breui  
moriturum prauideret. Sic tu, quos per te  
non potes, per alios instrue.

3. Christus non fatetur verbis se Messiam  
esse; sed factis, miraculis, qua de Messia in Pro-  
phetis scripta erāt eos dimittit, sic Christianus  
quinis

quiuís non facile seipsum commendare debet; sed id tantum dicere ad Dei gloriam, quod satis est ad alterius salutem.

4. Sicut Christus hic factis potius, quam verbis respondet; ita æquum est, quemlibet Superiorem, ac magistrum, prius facto præstare, quod subditos suos docere aut suadere voluit.

5. Discipuli Ioannis, quoniam ob zelum & amorem Christo priuatim minus æqui ac fidentes fuerant, occulte hic à Christo reprehenduntur iis verbis: *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*; sic nec occultè peccatores facile palam arguendi sunt: vti etiam Christus cum Iuda fecit, obscure monendo vt resipisceret.

6. Christus laudat S. Ioannem discipulis non præsentibus, sed absentibus, tum vt notam adulationis effugiat, tum ne illi ex hac laude occasionem caperent ( licet sine causa ) tum Christo præferendi: sic coram hæreticis, ac improbis, valde parce ac prudenter, de SS. laudibus loquendum est, ne calumniandi ansam arripiant.

7. Laudatur à Christo vestitus asperitas, ac victus simplicitas, vt scias, Deo vitam religiosam & mortificationem placere.

8. Austeritati ac paupertati coniungitur constantia, quia nulli in fide ac veritate sequenda constantiores sunt, quam qui mundum, eiusque opes, ac pompas serió contemnunt.

9. Turbis, ac simplicibus hominibus sapius SS. vitæ atque exempla potius, quam subtiliores conceptus & dogmata proponenda sunt.

\* \* \*

MEDI-